

Marcus Bersius¹⁾ an Vadian.

(Basel.) 1529. Februar 18.

Bericht über einen Auflauf des Volkes und gewaltsame Wegnahme der Bilder aus den Kirchen. Ausschluss der Altgläubigen aus dem Rate. Unterhandlungen der Boten von Zürich, Bern, Soloturn, Schaffhausen, Constanz und St. Gallen mit dem Rate. Vergebliche Bemühungen um die von Vadian gewünschten Schriften von Budæus bei den Buchhändlern in Basel.

S. Tantam rerum, tam civilium quam sacrarum, mutationem non puto a sua conditione Basileam vidisse. Reipublicæ status immutatus est et omnia ferme præpostere sacra suo loco mota sunt, hoc est in ordinem aut redacta aut redigenda adhuc; hæc tamen omnia divina providentia ita dirigente, ut a verberibus et cædibus temperatum sit. Fuit autem hæc causa posterioris illius tumultus. Hi^{a)}, qui a plebe selecti erant, numero 12, ut cum senatu de rebus, quas emendatas oportebat, agerent, supplicando senatui proposuerant nonnullos articulos, ad quos respondere senatus ferme per 10 dies differt, licet selecti cum plebe responcionem anxie requirerent et exspectarent^{b)}. Huic accedebat, quod recessus (vulgo « abscheid ») singulis zunfftis dati et signati non satis integre servari videbantur. Quo factum est, ut plebe urgente selecti (nos dicimus « der ufschutz ») Dominica Quinquagesimæ de rebus consulturi convenirent, die vero Lunæ sequente tota contio^{c)}, quæ stat a verbo dei, mane circiter quintam horam vocata confluit ad templum Minoritanorum. Ubi nunc preces matutinæ^{d)} haberi solitæ sunt, ibi omnium vocibus et querelis senatus cessatio accusatur; quibus visis senatus iam tandem responcionem dare festinat, sed lente nimis. Vulgus pro more suo tumultuatur; frustra laborant, qui compescere volebant. Circiter horam tertiam^{e)} pomeridianam ad arma concurrunt, aciem instruunt et sic armati Forum Frumentarium (planum est ante Prætorium) occupant; sequentem noctem ita perseverant. Die Saturni^{f)}, qui est Carnisprivii, mane petunt, 12 senatu excludi, quos suspicabantur evangelio adversarios. Consul, qui inter excludendos primus erat, in navicula cum nonnullis aliis aufugit. Eo die post meridiem exercitus armatus circa 300 templum cathedrale ingrediuntur, valvis effractis (erant enim clausæ) omnes statuas et imagines demoliuntur, deinde ædem S. Petri, ubi collegium est, et omnes ædiculas ubique per civitatem perlustrant, ut ne imaguncula quidem delitere potuerit, quin sit deturbata. Lignis autem imaginum usi sunt vigiles pro arcendo frigore noc-

turno. Sed ais: et quid interea factio pontificia? sine numinis præsentia factum, nemo ambigit, ut omnia hæc dissimularent et pars civibus accurreret, pars urbe exiret, reliqui vero in totum quiescerent. Die Veneris habitus fuit magnus senatus, quorum numero circiter 60 et plures sunt additi præter morem consuetum, et senatus (12 tamen exclusis), cum civibus concordatus, iureiurando se mutuo astringunt, verbum dei et quæ veræ pietatis sint unanimiter manutenendi. Interea advolarant legati Thuricenses, Bernenses, Solodoresens, Schaffhusenses, Constantienses et vestri. Quid vero tractarint cum nostris, scribere non possum; cognosces melius ex legatis vestris. Sic habes obiter totius fere tragœdiæ^{g)} narrationem. Deus omnia in suam gloriam vertat! Mutianum Felicem^{h)}, quem tantopere cupis, nusquam apud omnes bibliopolas invenio nec alias Budæi lucubrationes præter eas, quas habes. Vale. XVIII. Februarii, anno XXIX.

Marcus tuus.

Præstantissimo viro domino doctori Ioachimo Vadiano,
Sanctogallensium dignissimo, domino suo observando.

a) „hii“. — b) „exp.“. — c) „c“ für „t“. — d) „matt.“. — e) „terc.“. — f) Offenbar für „Martis“
verschrieben. — g) „e“ für „æ“. — h) „Felicem“. — Durchgebends „e“ für „æ“.

1) Vgl. oben, Brief 508.

Leo Jud¹⁾ an Vadian.

Zürich. 1529. März 4.

Aufnahme der von ihrem Manne getrennt lebenden Schwester seiner Frau. Bitte um Bericht über die in dieser Sache gefassten Beschlüsse der Richter in St. Gallen.

Gratiam et pacem a deo per Christum. Venit ad me hisce diebus, vir præstantissime, uxoris meæ soror Dorothea, quam gravatim suscepi^{a)}, invitus repuli. A viro relictam, repudiatam ac demum solutam per iudices vestros multa sunt, quæ mihi fidem faciunt; rursus dubium me reddit, quod, senatus decreto sive urbe pulsam sive ut marito cohabitaret coactam, fama ad nos manat. Ego quid hisce in rebus aut faciam aut consulam, plane ignoro. Rogo ergo te, vir optime ac prudentissime, ut et mihi hac in re consilium tuum impartias (!) et, res ut gesta, me certiozem reddas, nihil vel dissimulans vel celans. Nam si voti esse compos possim mei, velim, viro cohabitaret; sed obstant iniuriæ, violentiæ et facinora mariti, si sancte iuranti^{b)} mulieri credere fas est. Ego vero is non sum